

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Breviarium hominis christiani - Cod. Ettenheim-Münster 79

[S.l.], [18. Jahrh.]

Caput XXIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-108661](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-108661)

Sam dilectam ardentibus dilectionis affectibus emulari
valeam, ac demum affabilitate ac familiaritate tua,
quæ dulcis est, super mel et favum frui merear. O Sors
mea nimis beata, si tandem instas Moÿsis tecum velut
cum amico meo loqui, ac cum sponsa verè dicere possim:
Dilectus mihi et ego illi.

cant. 7.

Sed unde tua, o mi Deus, erga nos affabilitas, nisi ex
immense, quo nos prosequeris amore, ac vehementi desiderio
quo flagras, ut animæ devotæ te comunices; hinc vix
sponsa te sponsum celestem invitabat, ut ad hortum men-
fis eius descenderes; et ecce velut omnis more impatiens
exemplò ades et ais: Veni in hortum meum Sors mea.

C. 5. V. j.

O amantissime Deus quàm magna est erga inopem
animam dilectio tua, quæ dignaris oblectari in corde
eius ac familiariter cum ea conversari. O magna
puri ac mundi cordis felicitas, quod te tam excelsum
ac nobilem Dominum, tamq[ue] fidelem amatorem in
hospitium suum suscipere mereatur. Ous iam ani-
ma mea non ingeminas cum sponsa: veniat dilectus
meus in hortum suum, ut etiam ab eo audire me-
rearis: Veni; ecce iam adsum. An forte vilitas tua
tibi obicit, te prorsus indignam esse, ut cum tanta
maiestatis Domino familiaritatem inreas, tantùm ab-
est, ut cum in cor tuum eius fruendi amplexibus gra-
tiã introducere audeas. Sed depone hunc vanum metum;
ecce enim ipsemet ait: ego diligentes me diligo, et qui
mane vigilant ad me, invenient me. Ergo mi Deus
meam non aversaris parvitatem, sed solum à me exi-
gis dilectionem; fac igitur, ut sanctissima tua vo-
luntati respondeam, ac contemptis omnibus rebus
terrenis te unice diligam.

Sap. 8.

Caput XXIII.

Aspirationes ad Deum ob eius fortitudinem.

Quam magna, mi Deus, sit fortitudo tua, irreparabili. Damno suo expertus est innumerabilis apostatarum Angelorum exercitus, quem adversus te in caelo praeliare ausum Te devictum precipitasti in infernum. Eandem fortitudinem tuam expertus est populus Sodomitum et Gomorrhaeorum, mandatis tuis rebellis, quem igne de caelo missio concremast. Pharaos quoque eandem nobis testatam reliquit, dum illum cum universo exercitu suo in mare demersisti. Maxime vero in fine mundi, o magne Deus, manifestabitur fortitudo tua, quando contremiscerit fundamenta terrae, commovebuntur virtutes caelorum, cadent stellae de caelo, ignis ante te praecedet, et inflamabit in circuitu inimicos tuos. Illucescent fulgura orbi terra, et montes sicut cera fluent a facie tua. Tunc praefimone arescent impii, et e converso exultabunt filiae Judae, id est anime sanctae propter judicia tua Domine. O mi Deus quare opere sanctimoniam sectari, ac operibus dilectionis insistere debeo, ut in illa die securus et sine metu esse valeam. O fortissime Deus vince depravatas cupiditates meas, dirumpere nexus, qui me terrenis rebus adhuc alligant, ac impediunt, quo minus tibi unice adhaeream, tibi quoque soli vivam.

Ad tuum nutum.
Math. 24.
psal. 96.
Luc. 21.
ps. 96.

2. O Divine Zelator animarum, fortitudinem tuam stupendo modo demonstrasti, dum fragilem carnem nostram indutus, mundum et diabolum potentissimos sane hostes, qui omnes ferme mortales suo subegunt imperio, atque summatim ad tartara rapiebant, vicisti, nosque ab ipsorum Tyrannide liberasti. O felicissima libertas, qua ex mancipiis diaboli effecti sumus fi-

4

lū Dei! Quis similis tui in fortibus Domine? Exod 15.

O amabilis Salvator, quid tibi pro tam magno ac ineffabili beneficio retribuemus? Ecce anima mea, nihil aliud divinus Sponsus pro grata tanti beneficiū memoria à nobis exigit, quam ut eius imitemus fortitudinem omnia videlicet adversa forti animo tolerandō; neq; enim Christus aliter mundum et diabolum devicit, quam multos dolores, contemptus, convitia, cruciatus, ac dirissimam mortem subeundō.

En igitur paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Libenter patias, quidquid adversi volueris venire super me. Fiat in omnibus voluntas tua; in differentes enim volo de manu tua suscipere bonū et malum, dulce et amarum, letum et triste.

Dum autem, O amantissime Deus, hostes tuos comminuis, et ad nihilum redigis, et gratiā tuā corrobo = ^{amicos tuos fortiter} _{protegis}

ras, unde et audacter dicunt: omnia possumus in eo, qui nos confortat: imo omnes creaturas ad certamen provocant. Quis inquit, nos separabit à charitate Chris-

ti, tribulatio, an angustia, an fames? an nuditas, an periculum an persecutio, an gladius? certe neq; mors, neq; vita, neq; angeli, neq; principatus, neq; virtutes, neq; creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, que est in Jesu Domino nostro. 7 Christo

Sed mi Deus unde tanta ipsis enascitur fortitudo, nisi ex gratia tua, cui omnia cedunt, que omnia superat, et de omnibus triumphat. Testes huius sunt Apostoli, ac s. Martyres, quia gratia tuā suffulti non solum Tyrannos quosq; vicerunt, sed ipsis etiam demonibus fortiores effecti sunt, et innumeros penè idololatrias toto orbe profligarunt.

Quante igitur nobilitatis ac fortitudinis o amantissime
 Deus est gratia tua, qua tanta operatus, cuius proinde
 minimus gradus superat omnem potentiam huius mundi.
 O Deus protector vite mee perfunde iugiter cor meum
 potenti gratia tua, qua mecum sis semper, mecum la-
 bore, me protegat, et confortet; cum ea enim etiam trans-
 gradiar murum, superabo omnia salutis obstacula. Et
 consistant adversum me castra non timebit cor meum,
 si exurgat adversum me praelium, in ea ego sperabo triumphum.

ps. 71.

ps. 76.

Caput XXIV. Aspiraciones ad Deum ob eius magnificentiam.

i Si Regina Saba videns magnificentiam Salomo-
 nis, ac omnia opera eius magnifica, non habebat ul-
 tra spiritum, quomodo o dilectissime Deus, non de-
 ficiam animo, si sublimem gloriam tuam, ac omnia
 magna opera tua seria mente considerem? Quid est
 enim omnis magnificentia huius regis, si tua confera-
 tus, nisi umbra luci comparata. Et sane mirum est,
 si maiestas tua que est infinita, magnificentiam tuam
 creaturae finitam in immensum non superaret. aut
 si celorum immensitas, astrorum vastitas, elementorum
 magnitudo, ac omnium rerum in universo mundo ex-
 istentium pulcherrimus ordo, que omnia clamant:
 ipse fecit nos, non maiori admiratione digna forent,
 quam magnificentia v.g. domus, quam edificaverat Sa-
 lomon. O mi Deus, quam magnificus es, qui tam
 magna et inscrutabilia, ac mirabilia absq; numero
 facis. Vere elevata est magnificentia super coelos, dig-
 nus proinde omni veneratione, admiratione et di-
 lectione. Aperi ergo Domine Deus oculos meos, ut videam
 quam admirabilis, et quam amabilis sit magnificentia

ps. 8.